

266.

1310, Maggio 13.

*Il Doge al Bai/o di Negroponte.*

(558). Baiulo Nigropontis.

Graves querelas percipimus quod vir nobilis *Johachinus Sanuto* cum duabus galeis armatis gentem Cipri et Armenie derobavit, propter quod gens nostra in ipsis locis extitit pignora facta.

Que nobis sunt tanto gravia quantum possunt, et ideo volentes super inde sicut convenit providere, scribuimus vobis et per nos et nostrum consilium minus et de XL vobis precipiendo mandamus quatenus infra octo dies postquam galee nostre applicuerint Nigropontis debeatis ad domum ipsius Johachini vel in Plathea stridari publice facere, quod usque ad tres menses immediate ipsam stridationem sequentes coram nobis ad respondendum super predictis derobacionis per eum factis, debeat personaliter comparere; Alioquin si infra ipsum terminum non comparuerit contra ipsum procedemus tanquam ipsum confessum; Rescribendo nobis quicquid feceritis in premissorum et diem qua facietis fieri proclamationem predictam.

Datum die XIII madij, VII Indictione.

[Lettere del Collegio, c. 82 t.º].

267.

1310, Maggio 14.

*Il Doge al Re Ossin.*

(564). Regi Hermenie.

Ambaxatam ex parte vestra Serenitatis nobis expositam secreto, per nobiles et sapientes viros, Gerardum militem, et *Nicolaum Maurocenum* honorabilem civem nostrum, ambaxatores regios, intelleximus diligenter, et sint illi qui disposuimus nos et Comune nostrum iamdiu et nunc magis ad antedicta regia